

Thrinicia hirta γ , *arenaria* DC.

Ad littora arenosa Oceani pr. Cobas et Pontevedra Galleciæ!

Obs. *Th. hirta* et *hispida* maxime variabiles et inter se difficilime distinguendæ species, cum notæ plurimæ parum constantes videntur. Ita v. c. *Th. hirtam* non semper perennem inveni (sæpe biennis v. annua evadit), neque pappus semper 15-20-radiatus est, ut afferunt cell. Boiss. et Reut. (sæpissime radios vidi 10-12 ut in *Th. hispida*). Hæc ultima tamen habitu differente, nec non pappo subniveo, rostro longitudine achæni v. ultra et periclinio magis hispido videtur distincta a *Th. hirta*.

Kalbfussia Salzmanni Schultz Bip. var. *hispanica* nob., differt a speciminibus Africanis (a cl. Balansa ad Biskra Algeriæ lectis, 1853 Nr. 779) calathiis minoribus, achæniorum interiorum rostro brevior, pappo sordide lutescente (nec albedo), sed vix tamen specificè separanda.

In campis Extremaduræ (Schousb., Apr. 1798); in arenosis ad fluvium Guadaya pr. Sevilla (5 Mart. c. fl. et fr.)!

Leontodon hastilis β , *hispidus* (L. *hispidus* L.), parce *hispidus*, culturâ in formam glabratam transiens.

Santander, Encinillas; el Castro (prov. Leon)!

L. hispanicus Mérat (*Asterothrix hispanica* DC.) Lge. exs. Nr. 280.

Copiose in collibus gypsaceis ad Aranjuez (20 Mai c. fl.)!

L. (Millina) *carpetanus* Lge. n. sp. (*Oporinia autumnalis* Coss. in pl. Bourg., 1854, non Don), rhizoma breve, contractum, fibras radicales plures tenues emittens; folia dense rosulata, lanceolato-linearibus, runcinato-pinnatifida, glabra v. parce pilosa; scapi graciles, foliis pluries longiores, adscendentes, remote squamati (squamis 2-4), monocephali; periclinium cylindrico-campanulatum, foliolis biserialibus hirtis, obtusis, exterioribus dimidio brevioribus; anthoclinium nudum; achænia omnia conformia, longe rostrata (rostro vix achæni longitudine), striata, transverse rugosa; pappus albidus, periclinium multo superans, radiis 8-10 basi dilatatis, deciduus.

In graminosis regionis subalpinæ montium Carpetanorum supra

Venta de Navacerrada (21 Jun.)! Eodem fere loco postea legit cl. Bourgeau).

Obs. Propter achænia rostrata hæc species certe ad *Millinam* pertinet, sed genus hoc, mere artificiale, vix conservandum est; differentia enim inter Millinas et Oporinias vix tanta est quam inter species varias generum Thriniciæ v. Hypochæridis, quarum nonnullæ achænia rostrata, nonnullæ erostria habent. — *Mill. leontodontioides* Cass. differt a nostra radice grumoso-fasciculata, foliis ellipticis, rostro achænio longiore, pappi setis basi non dilatatis. *M. hyoseroides* DC. scapo foliis paulo longiore, periclinio pallido, glabriusculo, anthoclinio paleaceo distinguitur. Habitus externus quidem ei *L. autumnalis* simillimus est, sed hic differt scapis plerumque ramosis, pappo sordido, 12-20-radiato, periclinio vix v. paulo longiore, et præcipue rostro achæniæ nullo.

Geropogon glaber L.

In montibus Zumbalejo et Fuendelapeña pr. Jaen (6 Mai)!

Podospermum laciniatum (L.) DC. (Hisp. Barbajas).

Burgos, Valladolid! Crismundo (Cast. nov.) Schousb.!

„ β , *latifolium* Godr. et Gren. (*P. calcitrapæfolium* Koch Syn.).

In agris ad Granatam urbem!

P. decumbens Godr. et Gren.

Benavente, Parador de Villanuble pr. Valladolid; Puerto de Guadarrama, Aranjuez!

Obs. Inter formas innumeras hujus generis maxime polymorphi nullum discrimen constans inveni, et in nullo fere genere synonymia tam vaga et intricata est, quare ulterior observatio in plantis vivis magnopere esset desideranda. Quoad determinationem cell. Godr. et Gren. secutus sum, sed an omnia specimina a me lecta recte definita sunt, non certus sum.

Urospermum Dalechampii (L.) Desf.

Chiclana fl. gadit.!

U. picroides β , *asperum* Duby.

Jaen, Sierra Elvira fl. granat.!